


POSTERIOR APPENDIX, PRO DON DIONYSIO SANCHEZ MVÑOZ.

INITIVM A DOMINO.

Denuo ſuſcitatis à Dominis dubitationibus, commodius reſpondebitur eiſdem ob oculos propoſitis.

PRIOR DVBITATIO.



VM principalis huius cauſæ diſputatio ſit, an in villa de Scriche tempore executionis ipſius vigerent fori generales Aragonum: an vero particulares Turoli; reſultat ex proceſſu, quod præualet probatio ciuitatis: cũ teſtibus pro ipſa productis adiungantur iuris præſumptio, reſultans, ex quo villa de Scriche conſiſtat intra territorium Ciuitatis, & Communitatis Turoli: & aliqua inſtrumenta; & præſertim actus poſſeſſionis Gaſparis Sanchez Muñoz productus pro parte Don Dioniſij, in quo reperitur condemnatio facta ad nouem dies: & hoc eſt iuxta foros Turoli. Pro parte vero Don Dionyſij, nullus actus reperitur coadiuuans eius probationem, ſaltem tempore executionis, vel ante illam. Et in antiquis præualet probatio teſtiũ, cum aliquibus inſtrumentis (& ſi minor numero) probationi teſtium ſimplici.

Breuibus pro temporis anguſtia, & virium imbecillitate, huic dubio reſpondendum eſt. Quod duas videtur includere præcipuas difficultates. Prior eſt, quòd ex ſituatione Caſtri, & Pardinæ de Scriche intra territorium, & diſtrictum communitatis Turoli. Quid? prope ipſammet ciuitatem, iuris præſumptione reſultet, Caſtrum, & villam præfactam non ſolum eſſe de pertinentijs Communitatis; ſed etiam leges, & foros particulares illius vocatos de Sepulueda, fuiſſe promiſſos, & datos poſt inſtaurationem vniuerſalis eius territorij á Sarracenis conceſſos per Reges Aragonum toti illi terræ, eiuſque populatoribus; & per conſequens villæ de Scriche. Pro quo

 ponde-

ponderatur a dominis forus Turoli, *De los terminos de la Ciudad de Teruel*, qui incipit, *Primeramente, Fol.* 1. dupliciter expensus. Primò, quia sub limitationibus & designationibus eius lati fundi, quod concessum fuit populatoribus Turoli, circuncluditur Castrum, siue villa de Scriche.

Secundò, ex quo in calce illius fori adijciuntur hæc verba. *Finalmente do, y atorgo a los dichos pobladores, todos aquellos fueros, y costumbres, los quales a mi demandaran, y a su vtilidad buscar poran en alguna manera.* Quo fieri videtur, petitos deinceps, & concessos particulares foros Turoli, cẽseri vniuersæ illi terræ á Mauris recuperatæ, omnibusq; populatoribus eiusdem: ac subinde Castro quoq;, & villæ de Scriche fuisse concessos, secundum illosq; iurisdictionem fuisse ibidem exercitam, & exerceri debere, quamuis ea distincte profiteatur in concordia partium à iurisdictione Turoli, & Communitatis.

Quo vero ponderationibus his fiat satis, & certa ab incertis separentur, negari nemo potest, situm Castri, & villæ de Scriche, eamque comprehendi sub præfatis limitibus. At, nec negari potest, sub eisdem comprehendi (ex processu) complures alias villas, ac pleraque municipia Baronum, & Ecclesiarum, in quibus dubio procul concludenter probatum est, ab immemorabili viguisse, & vigere foros generales Aragonum, & secundum illos iurisdictionem ibidem exerceri. Probatum est (inquam) hoc concludenter, quia tametsi in ritibus processuum, & in instrumentis actitatis, & receptis per imperitissimos Aldearum tabelliones, incolas sæpè Ciuitatis, vel Aldearum Turoli, probentur aliquando obseruatos in istis villis, quæ non sunt pars, nec portio Communitatis, foros Turoli; in substantialibus verò veluti consistentia vnius Iudicis ordinarij, independentis ab omni recursu iudicum illorum Turolensium de Viernes, Plaços, y Padron. Et cum vnico, & immediato recursu ad Regiam Audientiam, & Curiam D. Iustitiæ Aragonum; quæ substantialiter apponuntur foris Turoli, & essentialiter conueniunt, & ad stipulãtur foris generalibus Aragonum, vt facilè sit inde conijcere, nequaquam generaliter foros illos expromissos nouis populatoribus, deincepsq; Turoli, & Communitati in particulari concessos, fuisse receptos in vniuersali illo territorio, siue latifundo, oppidisve omnibus sub illis limitibus comprehensis: imò nec eos foros particulares apud Castrum, & Villam de Scriche viguisse, nec vigere, vt infra.

Illud præterea constitutissimum esse videtur, præinserta verba allegati fori. Primeramente, sub Rubicella, *De los terminos de Teruel, fol.* 1. nullam continere, siue generalium Regni, siue particularium de Sepulueda, aliorumve fororum, particularem concessionem, sed expromissio-

misſionem quandam conceden-dorum fororum, qui fuiſſent pe-titi à populatoribus; in qua pro miſsione, velut in voto, poten-tia, vel habitu ſuberant quicun-que fori, ſiue generales, ſiue par ticulares, deinceps peterentur. Cæterum, (tantum abeſt) quod ex eo foro, alijsve Turoli, ſiue aliunde conſtet vniformiter, vel generaliter, deinceps omnibus populis, omnibuſq; populatori-bus foros particulares Turoli fuiſſe impertitos, quòd imo ex ipſiſmet foris, illorumq; vſu, & obſeruantia, clarè deprehenda-rur, ſolum Caſtro, ſiue ciuitati Turoli, & ipſius Aldeis, ex qui-bus eius communitas confici-tur, & Albarrazino, & ſuis, vi-llæq; de Moſqueruela fuiſſe ſo-lummodo, & taxatiue, eos par-ticulares foros impertitos.

Eo igitur controuerſia, & diſ-ceptatio ducitur, vtrum oſten-datur, & reſultet ex proceſſu ali-qua qualitas, vel ſpecifica diffe-rentia, ex qua Caſtrum, & villa de Scriche contrahatur, diſtin-guatur, & ſeparetur in hoc arti-culo conceſsionis, & vſu foro-rum particularium Turoli, ab ipſa Communitate, & Ciuitate. Si enim non conſtiterit legitimè de tali qualitate, & differentia, vix diffiteret præſumptionem à Dominis conſideratam, vrgère. Ex quo enim toti illi terræ pro-miſsi fuerunt fori, quos po-ſtularent, & deinde cõceſsi fue-rint particulares fori de Sepul-ueda Turolo, & Communitati, ſiue Aldeis, non ſub appellatiuis nominibus, ſed ſub collectiuis, omnis populus, qui reperiretur ſub illis limitibus, tanquam de pertinentijs Turoli, ſuis quoq; legibus cenſeretur inſignitus, & ſub illis populatus. Eodem ta-men iure aduerſarij cogentur fateri, nequaquam ſub illis legi-bus villam de Scriche, aliaſve, licet ſita, intra territorium ciui-tatis, & Communitatis Turoli, nec petijſſe deinceps, nec acce-piſſe eos foros particulares, ſed generales Aragonum, illiſq; vſas fuiſſe, ſi legitime probetur nun-quã villæ de Scriche, cæteriſq;, quæ non ſunt de communitate, licet ſituentur intra ipſam, præ-fatos foros fuiſſe conceſſos, nec illos apud ipſas viguiſſe, & ob-ſeruatos fuiſſe, ſed generales Aragonum.

Punctus eſt igitur id compro bare. Comprobatur autem tum intrinſecè ex conceſsione dicto-rum fororum Turoli, ſiuè de Se-pulueda: tum etiam extrinſecè ab vſu fororum generaliũ Reg-ni, & ex probationibus in præ-ſenti proceſſu factis.

Intrinſecè inquam, quia id, quod in voto, habitu, & poten-tia promiſſum fuerat nouis populatoribus Turoli, de ſibi erogandis foris, quos poſtularet generaliter, & comprehenden-do pro tunc omnes populos, & omnes populatores intra illud latifundum conſiſtentes; redu-ctum deinde fuit ad actũ reſtri-ctim, limitatè, & taxatiuè, Tu-rolo nẽpe, ſuis Aldeis, ſiue Cõ-munitati, Albarrazino, & ſuis, & villæ de Moſqueruela, particu-lares foros quo ad plurima con-ceden-

cedendo (in his enim, quæ particulariter in dictis foris non cauentur, Ciuitates, Communitates, & villa prædicta foris generalibus Regni cõprehẽdũtur, vt concludenter conuincunt fori Turolenses, & fundamenta allegatos, & expensa. Et Bardaxi in foro de iuramento præstando, per Dominum Regem, ex nu. 3. cum multis seq. quamuis articulus ab eo non decidatur: quia forsan tunc sub Iudice pendebat) vt manifestè constat ex foro nostro de iuramento pręstãdo per Dominum Regem. In quo, cũ Turolenses, & Albarrazinenses, ad Curias generales Aragonum semper conuocati fuerint, in eisq; interuenerint, vt ex foris nostris generalibus deprehenditur, duplici respectu: tum pro conseruandis, siue immutandis foris particularibus (quæ res inter ipsos, & Dominos Reges Aragonum absq; Curia generali peragebatur) tum etiam, tanquam Regnicolæ pro condendis foris vniuersalibus cum Curia generali tanquam partes, eiusdem integrales. Nec enim alias oporteret, quod ad eas conuocarentur, in stamentis sederent, iudicium suum de legibus promulgandis ferrent, pro vt semper conuocatæ fuerunt, sederunt, tulerunt. Enixè curauerunt, vt Dominus Rex sibi ipsis taxatiuè, & restrictiuè suos foros particulares, iuramẽto mediante, obseruare, & custodire promitteret, prout iurauit, promisit. Quod dubio procul, si actus Curiarũ percurrerẽtur, in omnibus Curijs renouatum reperietur, imò & eo ipso, quod forus is de iuramento præstando per Dominum Regem, post singulas Curias manet in volumine fororum, renouatum quoq; videtur, & cum alijs sacramento vallatum in nouo cuiusuis Regis Aragonum ingressu.

Insuper clarissimè quoq; intrinsecé, ex compluribus foris particularibus Turoli, & Albarrazini deprehenditur, limitata & restricta eorundem concessio ad Turolum, Albarrazinum, & vtriusq; Communitates. Primo quidem ex notabili foro sub Rubricella, *del que quebrantara los fueros*, &c. fol 8. vbi Turolenses, & Albarrazinenses cum Domino Rege notabiliter ingentes censuras, & maledictiones mediante Petro Episcopo Cæsarau gust. promulgauerũt, siue magis Episcop⁹ ipse protulit & promulgauit. Et legitur clare in illo foro cõcilia vtriusq; Ciuitatis, & Cõmunitatis in se recipere, & admittere pœnas, censuras, & maledictiones præfatas: argumẽtũ euidens, quod obseruãtia illorum fororum ad eos tantum extendebatur populos, & populatores, qui erant de dictis concilijs.

Secundo accedit forus Turoli, sub Rubicella, *De comissiones y rescriptos.* fol. 15. dupliciter ponderatus. Primo, quia expressissimè præsupponit, forum Aragonum euocationem per horrescentia permittentem Regiæ Audientiæ, locum quoq; habere in Turolo, Albarrazino; suis

ſuis Aldeis, & villa de Moſqueruela. Deinde ponderatur, quia formam, quam futuris euocationibus præſcribit, directis verbis reſtringit ad eaſdem ſolas Ciuitates, Aldeas, & Villam.

Tertio, intrat forus Turoli, ſub Rubricella, *Que Officiales de la Real Audiencia.* fol. 15. in quo limitaté ad eaſdem Ciuitates, Communitates, & Villam enarratur, illas habere foros particulares, & ſtatuitur, ne liceat Regis officialibus accedere ad dictas Ciuitates, Aldeas, & Villã pro executionibus faciendis.

Quatto, ponderatione dignus eſt, ad idem forus Turoli, ſub Rubricella *De comiſsiones y reſcriptos.* fol. 50. in quo legitur, petitio Domino Regi porrecta per Ciuitates, Aldeas, & Villam ſæpe dictas, & conceſsio deinceps in eo foro nominatim, & limitaté á Rege facta eiſdem.

Quinto, ad idem exdenditur forus Turoli, ſub Rubricella, *Que el padre no ſea tenido pagar por el hijo.* fol. 78. quatenus priuilegium, vel forus ille conceditur nominatim Turolo, & Aldeis.

Etſi diligenter euoluantur dicti fori, reperiuntur paſsim conceſsi, & ſtabiliti taxatiuè Ciuitatibus, Aldeis, & Villę prædictæ, earundemq; concilijs, & nequaquam alijs. Sicut etiam eodem, & non aliquod aliud oppidum in aggregatione generali de anno. 1598. illius terræ ad foros generales Aragonum nominatim fuerunt aggregatę, & vnitę.

Dixi autem ex prędictis, & alijs foris generalibus Regni, & particularibus Sepuluedę intrinſecé deprehendi, eoſdem particulares foros villam de Scriche non comprehendiſſe, neq; in ea iuxta eos iuriſdictionem exercitam fuiſſe: quia quamuis ſolis foris de per ſe, id non oſtendatur, ex quo non nominibus appellatiuis, ſed collectiuis mentio in eis fiat de Aldeis, coniuncta tamẽ externa probatione, quòd villa & Caſtrũ de Seriche, nullo vnquam tempore fuerit Aldea Turoli, nec de concilio Communitatis, nec de territorio, & iuriſdictione ipſius (licet intra illud conſiſtat) & in eo probationes vtriuſq; partis, imo & cõfeſsiones concurrant, commixtis his duobus capitibus, neceſſacio, & ineuitabiliter conſequitur, ex foris ipſis vtriſq; generalibus Regni, & particularibus Turoli intrinſecè (prædicto modo re expoſita) colligi, foros particulares Turoli Caſtro, vel villę de Scriche, nec petitos, nec conçeſſos vſquam fuiſſe.

Vnde, & reſpondetur inſcriptioni dictorum fororum particularium Turoli, quatenus ibi referrur, ſiue enuntiatur, ſummam eſſe, *De los fueros de las Ciudades de Santa Maria de Albarrazin, y de Teruel de las Comunidades, de las Aldeas de dichas Ciudades, y de la villa de Moſqueruela, y de otras villas conuezinas.* Quæ poſteriora verba videntur ſuggerere, foros eos ad villas quoque conuecinas pertinere. Villa autem de Scriche conuicinior eſt omnibus, non enim eſt deferen-

dum inscriptioni illi, quæ incaute forsan irrepsit, contra expressas tot dispositiones prædictorum fororum. Et vbi illi deferendum esset, adhuc res esset aperta: cum probatum sit in partium concordia, Castrum & villam de Scriche, nullo vnquam modo adiacuisse Turolo, neque extitisse Aldeam ipsius; sed quid distinctum, & omni modo separatum. Igitur apparet euidẽter, intrinsecè ex vtriusque foris particulares Turoli, nec petitos, nec concessos fuisse villæ, & Castro de Scriche.

Consonat prædictis obseruantia, siue vsus subsequutus. Nam quamuis vniuersa fere controuersia Turoli, & Don Dionysij in hac lite vertatur in hoc articulo obseruantiæ fororum generalium Regni, siue particulariũ Turoli in villa de Scriche, in quo partes sunt in perpetua discordia, puto tamen facilè omnibus testium, & documentorum probationibus, argumentis & coniecturis diligenter rimatis, & vndique perpensis, facilè Dominos meos arbitraturos fore, & iudicaturos, longè superiorem esse in hoc probationem Don Dionysij pro obseruantia fororum generalium Regni in villa de Scriche, quàm extiterit contraria probatio ciuitatis de obseruantia fororum particulariũ Turoli; qua de re doctissimus Dominus causę Relator erit potissimum consulendus, nec non & scripta à nobis tam in discursu, quam in appendice.

Quibus adiecerim illud, quod quamuis qualis qualis controuersia resultet ex instrumentis, & documentis productis in processu, ex quibus argumenta aliqua, tàm pro ciuitate, quàm pro Don Dionysio hinc inde resultant, & ponderantur, quorum qualis sit habenda ratio, Dominorum erit grauissimum iudicium.

Mihi tamen duo videntur constitutissima. Alterum, concursum contrariorum argumentorum, & coniecturarum ortum habuisse. Primo, á depopulatione villæ de Scriche. Secundo, ex quo partes, quæ contractus iniere super villa de Scriche, procuratores ipsarum, tabelliones itẽ, qui instrumenta dictorum contractuum receperunt, & fuerunt testificati, apud Turolum commorabantur, permixtimq; omnes imbuti erant legibus, & foris generalibus Regni, & etiam particularibus Turoli; & inde facile eisdem permixtim quoq; vtebantur. Alterum vero, certiora longe, & apertiora multo esse argumenta, quæ vrgent pro obseruantia legum generalium Regni in Castro, & villa de Scriche, consideratis his, quę supra perpendi, & in discursu, & appendice, & perpensa scriptura donationis Castri, & villæ de Scriche factæ à Canonico Garsia Martinez de Marzilla, Sanctio Martinez de Heredia nepoti, in qua apud Turolum facta, non quidem á Procuratorẽ non quidem à Notario, non quidem in attendentijs, non quidem enunciatiuè, sed seriosé, ac diſpo-

dispositiue propterse, & ab ipsissmet partibus dispositum fuit, quod fidantia præstaretur saluitatis (peculiare quid fororum Aragonum) & etiam fuit dictũ, quòd insinuaretur iuxta forum Aragonum., *de insinuationibus donationum*. Sunt & alia multa similia adminicula resultantia, ex alijs publicis scripturis longissimé superantia probationes, & argumenta ipsius ciuitatis.

Ex quibus submouetur etiã obex à Dominis sæpissimè ponderatus, ducto argumento á situ Castri, & Villæ de Scriche, quamuis enim circumclusa, & velut clauo affixa conspiciatur ex processu, tanquam in centro latifundi, siue territorij Ciuitatis, & Communitatis Turoli: nõ tamẽ est de territorio. Est enim alienæ iurisdictionis, & alijs legibus gubernatur, nempe, generalibus Aragonum, vt abunde demonstratum est. Et vlterius confirmatur ex expresse articulatis á Ciuitate, articulo cedulæ dicendo, vbi fatetur, terram illam deficientibus foris Sepuluedæ, gubernari ad foros Aragonum. Quod si admittitur à parte aduersa in ipsismet ciuitatibus Turoli, Albarrazini, suis Aldeis, & villæ de Mosqueruela, longe fortius procedet respectu Castri, & villæ de Scriche, quam ex titulo, & possessione constat, foros particulares Sepuluedæ nunquam comprehendisse, nec ei fuisse petitos, neq; concessos. Quod & conspicitur respectu multorum aliorum oppidorum, Baronum, & Ecclesiæ, non minus circumclusorum intra territorium Communitatis, quæ nihilominus cũ ea iurisdictionis, & fororum respectu nihil vnquam (in substãtialibus saltem) habuerunt commune. Et ita quod Cagnolus refert dari posset Castrum cum termino circumscriptum, ac velut clauo affixum in alieno territorio, & intra illud cum propria, & peculiari iurisdictione, exemptum quidem à iurisdictione territorij continentis. Nequaquam diffitemur: cum id quotidie experiamur in temporalibus, in omnibus Communitatibus Regni, & alibi sæpissime. Item & in spiritualibus, vt videmus in insigni, & præstantissima Ecclesia Beatæ Mariæ de Pilari Cæsaraugustana, quæ situata prope sedem Archiepiscopalem, à iurisdictione ordinaria eximitur. Et ita quamuis verum sit dicere, eam consistere intra diœcesim Cæsaraugustanam, nequaquam tamen erit verum simpliciter dicere, eam esse de diœcesi Cæsaraugustana, simpliciter inquam; quia saltem quo ad essentialia de diœcesi non est: cum sit exempta.

Verùm forsan esse, (vt ad scopum reuertamur) similia Castra, oppida, Ecclesias alterius iurisdictionis, in dubio gubernari censeri legibus territorij continentis. At in claris coniecturæ cessant. Clarissimum autem est, ex prædictis petitione, concessione, dispositione, vsu, leges particulares Turoli limitaté, ad alios fuisse concessas, ad Domi-

 num

num vero Incolas, Castrum & terminũ de Scriche, nequaquã.

Posterior vero difficultas pręcedẽtis prioris dubij spectat, ad ponderarionem instrumenti nactæ possessionis Castri, & villæ de Scriche, per Gasparem Sanctium Muñoz, in qua legitur, condemnationem tanquam Dominum iurisdictionis fecisse, vt condemnatus solueret ad nouẽ dies. Quæ res parum me morabitur, cum aduerterim, articulum hunc esse coniecturalem, qui tamen licet implicatus videatur, coniecturis hinc inde contrarijs, sunt tamen longissimè excellentiores, & præstantiores, quæ pro Don Dionysio vrgent: speroque grauissimos Dominos Regios Senatores substantialia potius, in quibus est fere sine controuersia in proposito intentio Don Dionysi, ita arbitraturos.

Secundum dubium.

EXecutio in bonis mobilibus Ciuitatis non erat necessaria, quia monita fuit, vt specialis possessora dictæ Pardinæ: quo casu, non est necessaria inuestigatio.

Occurrit secundum dubium, quo dicitur, defectum inuestigationis bonorum mobilium Ciuitatis Turoli non inducere nullitatem venditionis curiæ, Castri, & Pardinæ de Schriche: quia monita fuit ciuitas, non tanquam hæres vniuersalis, nec iure propriæ obligationis, sed tanquam defentrix Castri & Pardinæ de Scriche, singulari, & speciali iurę obligatæ: quo casu Doctores videntur sentire, nulla facta excussione bonorum mobilium, posse distrahi sedentia, *ex l. 2. C. de pignor.* Chassenæ, *rubr. 11. §. 6. vers. contre le principal. num. 7.* Molina, *de primoge. lib. 4. c. 7. num. 24.* Soci. Sen. *cons. 158. num. 27. in 2.* Plebanus. *§. obligatio. num. 23.*

Sed in huiusmodi dubio solum est perquirenda vera praxis necessitatis inuestigationis mobilium, & vtrum generalis praxis fori vnici, *De monitionibus, & citationibus.* Istum quoque casum specialis hypothecæ comprehendat. Cum enim monitó contumace, & rationes non offerente, ad executionem quoque propriorũ bonorum procedatur, æquum videtur, vt fiat transitus necessarius per mobilia ante executionem sedentium.

Nec his videntur aduersari, quæ Plebanus vbi proxime resoluit, quæ magis ad prælationem specialis hypothecæ referenda videntur, licet Chassanæ. Soci. & Molina, contrarium resoluant.

Tertium dubium.

ETsi iuxta foros Turoli fieri executio deberet intra duos annos, hoc tamen procedit, vt ipse forus dicit (saluo iusta causa) quæ causa reperitur in hoc casu: cum antequam complerentur duo anni, fuit appellatum al Iuez de Viernes: & sic non stetit per iudicem executantem.

Cum tota intentio Turolensium, vt potissimam, manifestãq; nulli-

nullitatem huius executionis, ob defectum iudicis procedentis subterfugiant, se teneat ex quo leges particulares suæ, & non generales Regni viguerint apud Castrum & Pardinam de Sericheé (assumptum quidem, ne dicam difficile, sed impossibile) contendit Don Dionysius etiam secundum leges illas, cassam, & nullam extitisse executionem, ex foro *De las entregas*, sub rubricella, *Que las entregas sean finidas.* fol. 50. à nobis expenso, & in hoc dubio mentionato. Obijciūt Domini Don Dionysio sequentia. Primum, forum illum casum quoq; fallentialem continere iusti scilicet, subsistentis impedimenti, & de eo constitisse, cū in literis narratiuis executionis, & venditionis curiæ per Turolum exhibitis, proponatur à quadam interlocutoria appellatum per Honoratū Sanchez Muñoz ad Iudicem diei veneris. Secundum, pro hoc impedimento, & eius duratione præsumēdum esse: cum eo non obiecto, nec de eo in specie excepto, vel replicato per Don Dionysium nō sit quod imputetur ciuitati, si impedimenti durationem non probauerit. Tertium denique, quod huic nullitati videatur præscriptum lapsu triginta annorum.

Non tamen ponderationes huiusmodi obesse videntur Don Dionysio. Prima enim submouetur, ex quo forus ille regulam contineat, executionem non terminatam intra biennium, esse ipso foro, & facto, nullam, sub hac militat Don Dionysius, & exceptionem, protendi posse vltra biennium ex iusta causa. In hac se fundat ciuitas Turoli. Dō Dionysius includitur ex lectura fori. Ciuitas perquirit iustam causam impedimenti ex appellatione relata in literis narratiuis. Sed insuficienter, quia vlterius enarrandum in ipsis erat, quod pars, quæ postulauit executionem aduersam partem, & iudicem institerit pro impedimento submouendo, nec aliás impedimentum sui natura facile terminabile, perdurare censetur, nec debitam excusationem parit, *glos. notab. in cap. cupientes. in §. quod si per viginti. in verb. proposita. de elect. in 6.* Ex qua glo. Imolam sic obtinuisse refert Iaso. *in l. nō exigimus. §. quod diximus, num. 7. ff. Si quis cautio.* quod vbi aliquis lege adstringitur ad aliquid expediendū certo tempore non excusatur, nisi protestetur, quod per ipsum non stetit. Et quod magis est, etiam constito de impedimento, protestatio requiritur. Et hoc est quod Iaso refert Imolam obtinuisse, quamuis ab hoc vltimo de necessitate protestationis, siue impedimento legitimo constet, ex Bart. ibidem discedit Iaso vbi proximé. Vtrumq; dictum late ornat Becius *cōs.* 104. *ex num. 2. cum seqq.* & Massuerius *ad Petrum de Ferrara* in praxi, *tit. de forma libelli. respon. iud. a quo. vers. statuit, & assignauit. sub additione litera C. pag.* 270. & omnino videndus Don Garsias Mastrillus *Decis. Regni Scicilia.* 185. Apud

quem ex facto dubitatum extitit, an statuto termino finiendæ instantiæ, illud currat, impedimento stante. Vbi resoluit, tempus non currere, quod regulare esse dicit. *ex tex. & glos. in c. venerabilis. de iudi. & in l. si cū ipse, ff. de excusatio. tutor.* Maranta *in speculo par. 5. limita. 12. num. 30.* Rolan. *cons. 82. num. 7. in. 4.* vbi tamen Mastrillus appositissimé ad propositum ex communi censura Doctorum docet, duobus casibus ab ea regula discedendum esse.

Primo, quando impedimentum de facili poterat submoueri, imo & quando difficulter extremum conatū impeditus, adhibere debet pro illo submouendo, nec alias ex eo excusatur. Ita ex Bal. *in l. fi. in fi. C. de adulter.* Paul. de Castro, Imol. & Soci. *in l. quibus diebus. in prin. ff. de condi. & demo.* & Feli. *in c. venerabilis, de iudi. limita. 3.* abunde Crauetta *cons. 270. num. 2.* vbi pulchre distinctionem præcedentē amplectitur, docens, Iasonem & alios dubitasse de necessitate protestationis; neminem tamen dubitasse, quin summus conatus adhibendus sit pro submouendo impedimento. Et quod de eo constet. Alioquin *subdit* Crauetta, *quod si Iaso aliter sensisset, pessime, & contra omnes loqueretur.* Et *addit præterea* Crauetta discrepante nemine, sic omnes tenuisse, nec aliquem discrepare potuisse: cum sint de hoc iura expressa (vltra supra allegata) *in l. sed etsi per prætorem. in §. 1. vbi Bald. ff. ex quib. cauſ. maior. & in l. quibus diebus, in prin. ff. de condi. & demo. & in c. fina. de electione. de quibus* Deci. *in l. 1. n. 6. in fine. vers. nam isto casu. C. de bonor. posses. secun. tabul.* cū alijs multis per Mastrillum allegatis *supra num. 4.*

Secunda limitatio, quòd licet quando ex concordia antecedenti clarè constet de impedimento releuanti, protestatio nō sit necessaria, cæterum quando impedimentum non est talis naturæ, protestatio exigitur, & necessaria est, ne instantia tempus labatur. Quod ex Crauetta, Decio, Eugenio, & Raudense per ipsum allegatis obseruat Mastrillus *vbi supra num. 7.* Et adhūc sensum reducendi sunt Tesaurus *decis. 10. num. 14. &* Chacheran. *decis. 12.* Mascard. *conclus. 116.* quatenus docent summo iure, non satis esse impedimentum probare, sed quod vlterius requeritur protestatio impediti, vt saltem procedant, quando de impedimento, & summo conatu pro eo submouendo, non apparebat: quoniam quando de ea apparet, & de summo conatu, benignius videtur, quod etiam absq; protestatione admittatur, vt fuit admissum apud Mastrillum: quia constitit de conatu summo impediti, & de cauillationibus impedientis. At secus in occurrenti casu, in quo in impedimento sui natura facilimæ amotionis, non constat, vel de minima diligentia, ad illud submouendum.

Imo potius caute ex aduerso, in hoc actum esse videtur, cum literas

literas narratiuas exhibuerit Turolum, cum nuda narratione interpositæ appellationis, & diligentiarũ factarum ad eius prosecutionem, quare autem terminata non fuerit, non exprimitur.

Accedit his longissima tempora lapsa fuisse á subiecto prætenso impedimento: fuit enim appellatio interposita in articulo incidenti anno 1551. & fuit euocatus processus per eundem ad Regiam Audientiã, anno 1555. & sic efluxere circiter quatuor anni, & deinde post euocationem vsq; ad terminationẽ causæ, fere 30. anni. Apertum autem est, iudicem euocantem subrogari in locum iudicis processus, vt coram Regia Audientia facile pro submouendo impedimento, executionem instans, & impeditus submouere illud, & curare, & consequi per tot sæcula facile potuisset.

Vt ex his liquido appareat, impedimentum præfatę appellationis sui natura, facile submoueri potuisse nullomodo apparere, ne dicam summum, & extremum conatum impeditum adhibuisse ad illud submouendum; sed nec de aliquo conatu, vel etiã minimo constare; & deniq; defficientibus solummodo octo mensibus pro cõplenda præscriptione *dicti fori*, affluxisse fere quatuor annos ab appellatione, ad euocationem, & ab euocatione ad terminationem processus, triginta parum plus, vel minus. Sed nec minus certum est, coniungenda esse de iure extrema temporum vtilium deducto é medio tantum tempore, quo impedimentũ sub fuit. Quamuis enim forus ille Turoli, non exprimat duos ab eo prestitutos annos debere continuo currere, de iure tamen dicti anni intelliguntur continui, *glo. notab. in Rubri. ff. de diuer. & tempora. præscrip.* Abba. *in c. fin. circa finem de electir.* Lappus, *alleg.* 47. quos sequitur Anto. Bard. *in tracta. de tempore vtili & continuo. c. 3. n. 9.* ex quibus manet satisfactum priori ponderationi Senatus Regij, in hoc vltimo bubio. Qãuuis enim forus ille iustam causam admittat, ad sistendum cursum eius præscriptionis, defecit tamẽ pars aduersa, in debita probatione iustæ causæ, & iusti impedimenti: quoniam iustum non censetur nisi cõstet de summo conatu, ad illud submouendum, nec alioquin releuat.

Secundæ ponderationi, quòd erat nominatim obijcienda, in specie ista nullitas, progrediens ex determinatione dicti fori: quoniam obiecta, potuisset impedimentũ adstruere & probare, cum duratione. Respondetur, distinguendos esse tres casus, pro exactiori difficultatis, & articuli enucleatione.

Primus, quando nullitás deducitur in eodem processu, eum annullari petendo. Secundus, quondo in alio processu de per se agitur de nullitate; petitionẽ super eam offerendo. Tertius, quando in iudicio vendicationis rei, vel alio cum legitima inclusione, vindicatur, & obij-

citur petitum reo competere, ex aliquo processu executiuo, vel altero, aduersus quem excipitur de nullitate. Primus casus, & secundus facilimi sunt: quoniam in priori satis est, quod nullitas proponatur sub genere, & attẽtis contentis, vt quotidiana praxi experimur.

In secundo putarem, nullitates in specie esse proponendas: ridiculum enim esset, petere agendo de per se de nullitate, annullare processum, nullitates non deducendo. Vnde forsan ortum habuit decisio & praxis fori, *Querientes*, de firmis iuris. Quia cum in processu electionis iuris firmæ grauaminum factorum interpositæ ad Curiam Domini Iustitiæ Aragonum, de iniustitia, & nullitate agendum sit: merito cauit ille forus, quòd nullitates in specie proponerentur.

Tertius casus dubitabilis forsan videretur, an scilicet, in iudicio reiuendicationis, quãdo reus deffenditur ex executione, vel sententia lata, si actor replicat de nullitate illius, oporteat nullitates in expresso proponere, quó in casu, resoluendum videtur, satis in indiuiduo, & in expresso, istam nullitatem eius fori censeri deductam. Nam quod attinet ad foros, nulla allegatione egebant; quod vero attinet ad nullitatem, satis expresse deducta fuit: cum dictum extiterit, executionem, & venditionem extitisse nullas ex compluribus causis, & rationibus in iure, & foro consistentibus, & ex processu resultantibus; ex quo vi relationis in expresso deductę, videntur huiusmodi nullitas, & aliæ omnes.

Mihi sanè perdificile foret, semel actore incluso, replicante reo, de sententia, aut executione, proponenteq; documenta ad exceptionem comprobandã, manca tamen, defectuosa, & nulla, satis non esse dicere illam sententiam, vel executionem non obesse, tanquam nullas varijs ex causis, ex processu apparentibus. Conuenirem sanè in his nullitatibus, quæ externis adminiculis indigeret, eas id indiuiduo proponendas, & coadiuuandas esse.

In his autem, quæ ex ventre processus, sororumq; dispositione resultant, satis expresse propositæ videntur modo prędicto. Cum enim Turolum legitime inclusum, in petitione videret Don Dionysium, seseq; defenderet ex præfata executione, & venditione curiæ, illam sanè debuisset proponere legitimam, & omnibus numeris absolutam, nec enim aliàs vinculis, & substitutionibus Don Dionysij potest obsistere. Hæc est notabilis differentia proponendi nullitatem de perse principaliter, vt in duobus prioribus casibus supra propositis, vel incidenter, quod factum esse creditur in nostro casu, vt optime docet Vantius *tit. quod & quib. modis nullitas in iudicio proponi possit. num.* 24. vbi *num.* 32. docet, tunc incidenter deduci, quando per viam exceptionis, vel replicationis proponitur.

ponitur. Et quando proponitur isto secundo modo, concludit Vantius *ibi num.* 21. ex Afflicto *decis.* 283. & Oldrado *cons.* 225. nullitatem patentem, & ex processu resultantem, videri, & intelligi incidenter in iudicio deducta.

Nec dicatur satis, nullitatem excusari ex mentionata in literis appellationes, quia ciuitas iura sua adeò expressa ignorare turpe erit indecorum, & inexcusabile; ac proinde paria sunt nullam iustam causam excusationis allegasse, vel illam inutiliter proposuisse. Cùm enim hec intrinsece ex processu, & foris resultaret, & dictum esset de nullitate executionis, & venditionis curiæ, incidenter proposita videri, & intelligi debet, vt punctim ex Afflicto, & Oldrado Vantius obseruat *d.n.* 21.

Nec me in contrarium mouet, quod ponderationi huic inter textum & additum fuit, nẽpe, non reperiri terminum, illi appellationi præfixum ex foris Turoli: quoniam non est sic computatio facienda, sed proposito termino, tam rigidé processui executionis & subhastationis, sub nullitatis periculo, si interposita appellatio breui terminari poterat, breui quidem erat terminanda, vel alioquin probandũ impedimentum facto iudicis, vel partis aduersę & summũ quidem conatum pro eo amouendo. Quod est dicere, nõ esse in pręsentiarũ tractandũ de appellatione ex se prosequenda, & terminanda, sed relatiuè correspectiué, & in ordine ad processum executionis, & quatenus illi fuit impedimento, ne terminaretur intra biennium ab eo foro præstitutum: quo casu nõ releuat, nisi docto de summo conatu amouendi præexistens impedimentum, prosequendi scilicet, & terminandi appellationem.

Quid quod? Si euoluantur fori Turoli, octo quidem, vel decem dies tantum ad similem appellationem terminandam, etiã interpositam ad diuersum iudicem, iudicem nempe Padron, reperientur præfiniti, quod si dispositiones iuris communis attendamus, tempora quoque præfinita sunt, vt de se patet, & omni casu resultat, appellationẽ illam non fuisse impedimento executioni perficiendæ. Quæ & perfecta fuit, non alias ostenso, quod appellatio fuerit terminata, & impedimentum sublatum.

Tertiæ demum ponderationi, quod nullitati huic præscriptum sit, facilé respondetur, nec enim constat á completa executione triginta annos efluxisse, & quia quæ sunt temporalia ad agendum perpetua sunt ad excipiendum, *l. licet C. de exception. l. in honorarijs. ff. de oblig. & act.* Et quia Don Dionysio post obitum fratris maioris natu ortum fuit ius ex propria persona ex habito fideicommisso, & statim ad iudicium apprehensionis prouocabit, vt prorsus indifficile sit, millum illi pręiudicium ex pręscriptione prætensa suboriri potuisse.

Suma igitur prædictorum est, quod attinet ad substantiam, & rerum essencias, apud villam de Scriche (quæ licet intra territorium Turoli velut clauo teneatur, vt Cagnol. in simili asserit *in l.fi.ff.de iuris. om.iud. nu. 6.*) de territorio tamen vel districtu Ciuitatis nunquam fuisse, sed quid distinctum, vt supra. Flociq; habendam esse condemnationem factam á Gaspare Sanchez Muñoz in actu possessionis villæ de Scriche ad nouem dies, cum multos ante annos Sanctius de Heredia, dum nanciscceretur possessionẽ eiusdem Castri & villæ similem fecerit condemnationem ad decem, dissimilem foris Turoli, vt his cõspiciatur leuidense omnino esse argumentum, quod tanti ex aduerso fit, ex quo Gaspar Sãchez Muñoz ad nouem condemnauerit.

Et deniq; obesse Turolo præscriptionem dicti fori, *De las entregas*, & nullitatem ex eo resultantem, nec eam excludere appellationẽ interpositam ab Honorato Sanchez Muñoz, cum nec de impedimento, nec de connatu ad illud submouẽdum, nec de protestatione constiterit.

Non ignoro longè maiorem diligentiam, curam, & laborem proposita dubia pro sua dignitate desiderasse, quam, quem ego aduersa vtens valetudine adhibere potui, supplebunt tamen facile, quæ aduocato desunt, præstantissimi, & doctissimi Regij Senatores, sub quorũ bona venia & ex semel bis, & tertio pro Don Dionysio in hac causa propositis, eundem in ea victoriam reportaturum spero, sub censura Dominorum meorum.

Michael Pastor.